



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Praxis Et Brevis Declaratio Viæ Spiritvalis**

**Palma, Luis de la**

**Antverpiae, 1637**

Prima Pars eiusdem Meditationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50934](#)

124 PRAXIS ET DECLARATIO  
omnes generaliter vocat. Exercitium  
hoc , præter Orationem præparato-  
riam , duo præambula habet , & duas  
partes : quarum prima est, exemplum  
& similitudo Regis temporalis subdi-  
tos suos euocantis ad bellum ; secun-  
da , applicatio istius similitudinis ad  
Christum Dominum nostrum. Et sin-  
gulæ partes habent tria Puncta.

PRIMA PARS *huius Me-  
ditationis.*

**I**N PRIMO PUNCTO nota qualitates  
Regis huius humani qui hic propo-  
nitur. Prima est , Princeps à Deo ele-  
ctus, legitimus. Secunda , Rex vniuer-  
salis omnium Principum, Populorum,  
& omnium Christianorum. Tertiò ,  
Considerare in eo debemus pruden-  
tiam, benignitatem, liberalitatem, cle-  
mentiam, iustitiam, & de omnibus suis  
subditis prouidentiam , reliquasque  
proprietates quæ Regi à Deo super tot  
subditos constituto conueniunt.

In

In SECUND O considera eius Regis discursum: & nota Primò, quām rationabilis sit eius petitio : ipse enim non vult manere in deliciis & commoditatibus suæ Aulæ , sed ad bellum vult primus procedere ; nec delicatiùs vult ipse tractari quām ipsi sui milites ; imò desiderat, milites sibi Regi pares sint in comedendo, bibendo, ipsoque vestitu: nec se belli periculis eximere , aut ad tutiora loca se conferre vult , solâ suâ omnes præsentia animare desiderans ; quinimò loca maximè periculosa hostibusque exposita præeligit , vultque interdiu in omnibus laboribus , noctu verò in vigiliis excubiisque primus inueniri. Et quamuis inter Reges hîc in terrâ vix sit inuenire qui hoc faciat ; ponuntur tamen peculiariter hîc omnes istæ circumstantiæ , vt oculi aperiantur in accuratâ consideratione exemplorum Christi Domini nostri , & principium detur eius voci & vocatio ni , quando dixit : *Si quis mihi ministrat , me sequatur : & ubi sum ego , illic*

*illic & minister meus erit.* Ioan. 12.

Nota secundò, Quòd in promissione hac Regis, quâ suis militibus partem victoriæ addicit, prout quisque laborum & molestiarum socius extiterit, iam incipiat apparere differentia graduum qui in perfectione sunt: illi enim consistunt in maiori vel minori Christi imitatione, prout plus aut minus socius quis laborum fuerit. cui respondent varij gradus gloriæ in cælo.

In TERTIO Pvncto considera, quomodo ab affectibus & sensibus humani, qui nobis familiariores sunt & magis noti, anima ascendere debeat ad affectus & sensa spiritualia, quæ magis secreta sunt & à sensibus remotiora: & ideo quando quis illis similitudinibus vtitur, multùm refert intelligere, quid in talibus casibus & rebus humani euenire soleat, gradum ab iis ad diuina faciendo. Atque ita in Exercitio præsenti, vt quis ex eo fructum referat, videatur cum attentione, Primo, *Quid dicant boni & fideles subdit;*

ti; & quid soleant aut debeant responderem ad tam iustum Regis humani & tam liberalis petitionem. Secundo, si aliquis reperiatur qui Regem suum in tali occasione sequi nollet, haberetur infamis, vecors, infidelis, peruersus miles, & omni in hoc mundo vituperio dignus. Quam in rem notanda sunt Vixæ verba ad Dauidem 2. Reg. 11.  
*Arca Dei & Israël & Iuda habitant in papilionibus, & dominus meus Ioab, & serui domini mei super faciem terræ manent, & ego ingrediar domum meam, ut comedam & bibam, & dormiam cum uxore mea? per salutem tuam, & per salutem animæ tuæ, non faciam rem hanc.* Et quod respondit Ethai Getæus eidem Dauid, cùm exiret fugiens à facie Absalom, volenti sibi persuadere, ne se comitaretur in illo periculo, 2. Reg. 15.  
*Viuit Dominus, & viuit dominus meus Rex; quoniam in quocumq; loco fueris domine mi Rex, siue in morte, siue in vita, ibi erit seruus tuus.* Si hoc dixerit externus, quid deberet dicere subditus naturalis?

SE-